



Per.
Lat
020


Prodit Budapestini VIII., Szentkirályi-u. 28. Calendis et Idibus cuiusque mensis, excepto Iulio et Augusto. — Pretium annuae subscriptionis: 4 coronae, in Germania 5 M., in Gallia 5 F. 25 c. Prostat Parisiis in aedibus Croville-Morant, 20 rue de la Sorbonne. — Telephonum: József 858.

Bellum saevit

inter Turcos et populos Haemimontanos.¹
Illi potiores armis, hi spe deiecti pugnant.

Cum casus varios belli reputamus,
subit² animum² cogitatio temporum anti-
quorum, cogita-
mus de fortunae
vicibus,³ de terris,
quae tam multo
sanguine redun-
dabant...

Quae fuerint
olim Athenae —
fons litterarum ar-
tium, doctrinae —
nemo nostrum
ignorat. Urbs erat,
quae per saeculo-




rum aetates de litteris et artibus leges ferebat universo generi humano. Sunt tamen viri docti qui Athenas aetate, quae media vocatur, omnino desertas⁴ fuisse affirmant. Athenas illas desertas fuisse, quibus devictis Macedonum reges potentissimi, Philippus, Alexander Magnus pro litterarum artiumque gloria parcébant. Nam urbs illa florentissima Macedonibus validioribus resistere nequivit, artes humanitatis

artibus belli cedere⁵ cogebantur. Apud Chaeroneiam mortua ac sepulta est libertas Athenarum.

Nunc ipsum⁶ annus est bis millesimus, cum Athenienses antiqua gloria freti iugum, quod sibi interea a Romanis impositum est, excutere⁷ conabantur. Frustra. L. Sulla anno 87. a Chr. post oppugnationem acerrimam moenia, opera, munitiones, navalia⁸ evertit. Athenae vitam publicam — ut ita dicam — vivere desiére.

Duo milia annorum! Tempus longissimum, neque tamen urbs illa clarissima gloriam antiquam recuperare potuit. Opera artis insignissima Phidiae aliorumque ingeniorum illustrium collapsa, diruta iacent. Graeci iterum bellum gerunt. Meminerint fortunae fragilitatis! Orbis⁹ omnium vertitur, omnium versatur urna...¹⁰ et hominum et gentium.

¹ balkáni ² eszébe jut ³ változandóság ⁴ elhagyott pusztaság ⁵ enged ⁶ épen ⁷ leráz ⁸ hajógyár ⁹ (a sors) kereke ¹⁰ a halál urnája.



LECTORIBUS MINIMIS.

Hiems.

Paulus. Quid agis tu, scribis, discis? Semper totus in libris abditus.¹ Veni mecum, rivus hac nocte gelu² constitit.² Soleis³ ferratis³ per glaciem⁴ curramus.

Antonius. Duabus de causis domi maneo. Primum quia nondum pensa⁵ confeci, deinde quia magister hoc vetuit.

Paulus. Quam morosus⁶ es! Nunquam nobiscum venis, cum de ludis ac voluptatibus agitur. Tu semper diligentiam et oboedientiam simulas.⁷ Serva nidum⁸ tuum, veni tu Carole.

Antonius. Eatis, ego maneo. Sed si puniti eritis a magistro, ne in me culpam transferatis.⁹

Carolus. Ego Paulo assentor,¹⁰ quia discit, cum discendum est, ludit, postquam officio satisfacit. Eamus, mi Paule. Vale Antoni!

Paulus. Habesne soleas ferratas Carole?
Carolus. Habeo, quas mihi pater nuper emerat. Aspice, in Britannia fabricata sunt.

Paulus. Mehercle,¹¹ pulchrae!

Carolus. Ut gaudeo, cum hanc nivem albam video. Apportabo trahas¹² meas, quibus nos mutuo vectitabimus.¹³ Vix iucundius quidquam cogitare possum, quam per nivem congelatam vento citius¹⁴ delabi.

Paulus. Hoc verum est. Sed si trahas inscipienter¹⁵ regis, facillime excuteris.¹⁶ Quare calamitates iam maximae acciderunt.

Carolus. Periculum aliis quoque oblectamenti hibernis imminet; ut alia omittam, cum soleis ferratis in glacie curris, quae repente rumpitur...?

Paulus. Propter eam ipsam¹⁷ causam aquas altiores vitare soleo; praefero enim stagna¹⁸ arte¹⁸ facta,¹⁸ cum soleis ferratis super glacie persultare¹⁹ libet.

Carolus. Cautus²⁰ es, mi Paule, quod recte facis. Quaque enim hieme exempla impru-

1 elbujva 2 megfagy 3 korcsolya 4 jég 5 feladat
6 mogorva 7 tettet 8 fészek 9 rátol 10 csatlakozik
11 valóban 12 szánkó 13 visz 14 gyorsabban 15 ügyetlenül 16 kilódít 17 épen 18 mesterséges pálya 19 szalad
20 óvatos



De noctua¹ Minervae.

Minerva aegerrime² ferebat² noctuam, suam avem, stolidissimam esse omnium volucrum:

— Si vis, inquit Iupiter, ego dabo ei aures magnas ad audiendum et oculos magnos ad videndum. Cetera tuae curae erunt.

— Pro hac re gratiam maximam tibi habebō.

Inde Minerva nihil praetermisit, quin suam avem erudiret, quae tamen stolidissima avis mansit.

Educatio vires quidem ingenii effingit,³ at vires novas procreare nequit.

M. Doran (Accrington).

1 bagoly 2 zokon vesz 3 képez.

Cicero et Syracusani.

Cicero aliquando, cum olim adverso vento iter continuare non posset, per aliquot dies Syracusis morabatur. Qua occasione sepulcrum Archimedis, Syracusani doctissimi aditurus, multos homines rogabat, ut sibi locum ultimum Archimedis monstrarent. Sed nemo non ignoravit, ubi ille sepultus esset.

Itaque Cicero solus in sepulcretum¹ iit, ubi lapidem repperit, in quo cum globo² et cylindro haec verba insculpta legebantur: Περὶ σφαίρας καὶ κυλίνδρου. (De globo et cylindro.)

Orator clarissimus sepulcro agnito exclamavit: O infelices Syracusanos! Unum clarum virum habebatis, qui hic iacet et ne sepulcrum quidem novistis! Homo Arpinas³ huc veniat oportet, ut vobis demonstret, ubi vir clarissimus sepultus iaceat!

G. Horay (Temesvár).

1 temető 2 gömb 3 arpinumi.

dentiae in actis²¹ diurnis²¹ leguntur, cum discipuli incauti glacie rupta pereunt.

Paulus. Noli timere, amice, novi enim locum, ubi rivus non est tam altus. Si glacies rumpitur, summum²² usque ad genua hauriemur.²³ Gravedo²⁴ non tam gravis, verbera²⁵ non tam multa... ceterum per mitte tempori.

Carolus. Equidem neque gravedine vexari, neque vapulari²⁶ velim.

Paulus. Igitur aliud tibi commendabo. E nive globulos²⁷ faciemus iisque nos inter nos incessemus.²⁸


Carolus. Quod ut iucundius sit, etiam alios amicos adhibebimus.

Paulus. Recte loqueris. Adeamus amicos nostros, ut nobiscum veniant.

21 ujság 22 legfeljebb 23 elmerül 24 nátha 25 verés
26 kikap 27 golyó 28 megdobál.



Graetz, militum praefectus, qui Africae interioris partes parum notas perscrutabatur,¹ de inventione mira societatem geographorum Germanicam certio rem fecit: duo



flumina ingentia, Congo (2600 metrorum) et Zambezi (4200 metrorum) fontem communem habere. *Graetzi* auctore² haec flumina, quae, parte Africae in orientem spec-

tante cum occidentali coniuncta, in diversas partes volvuntur, unum et idem sunt. *Graetzi*us flumine Zambezi a fonte usque ad ostium investigato¹ confirmavit hoc flumen idem esse ac Congo. In urbem Catangam et adverso Zambezi et adverso Congo vectus totam Africanam in latitudine se emensum³ esse asseveravit.⁴

1 kikutat 2 szerint 3 bejár 4 állít.

De Atlantide insula. II.

Paulus Schliemannus exposuit avi sui, *Henrici Schliemanni*, qui Troiā delectā sempiternam sibi gloriam paravit, scriptum cerā¹ obsignatum¹ exstitisse, quod aperire illi viro soli licuerit, qui Atlantidi investigandae² operam dedisset. *Paulus Schliemannus* aperuit illud testamentum, in quo haec leguntur.

Cum anno post Christum natum 1873 *Henricus Schliemannus* ruinas Troiae effodisset et res Priami pretiosissimas detexisset, in iis etiam vas³ singulare⁴ ex aere factum invenit simul cum statuīs parvulis ex osse aereque factis. In vase literulis Phoeniciis scriptum legebatur: «A Chrono rege, ex Atlantide». Quibus lectis ille vir doctus admiratione laeta affectus est. Primum enim illud erat documentum⁵ re vera fuisse Atlantidem insulam, ut veteres narrant. *Henricus Schliemannus* detectis⁶ occultatis anno p. Chr. n. 1883 conspexit in Museo Nationis Gallicae res in urbe *Tihuanaco* effossas, easque veterrimas, in iis simillimas in vase Troiano repertis. Formae ornamentaque⁷ earum mirum in modum congruebant.⁸ *Schliemannus* ratione chemica constituit eas ex eadem materia factas esse. Res in vase Troiano repertae ex ea mixtione⁹ metallorum effectae erant, quae nullo alio loco inveniebatur, quare ex Atlantide ortae esse videntur.

Schliemannus investigans papyros etiam Petropoli¹⁰ collectas, Sentem pharaonem quondam in insulam Atlantidem proficisci voluisse comperit, unde anno a. Chr. n. ter millesimo trecentesimo quinquagesimo maiores Aegyptiorum demigraverint; investigatores post quinque annos illuc proficiscentes rediisse nullumque Atlantidis vestigium invenisse traduntur. In aliā papyrō memoratur aevum¹¹ annorum ante Christum natum quaterdecies milium, unde historia Aegypti profecta¹² sit. Quare *Schliemannus* visa est Atlantis insula fuisse, ubi nunc est Oceanus Atlanticus, coniuncta cum Europa, Africa, America.

M. F.

1 lepecsétel 2 kutat 3 edény 4 különös 5 bizonyíték 6 fölfedezés 7 diszítés 8 megegyezik 9 keverék 10 Pétervár 11 kor 12 kezdődik.

Ex quo bellum Turcicum exortum est, quotidie auditur et in actis¹ diurnis¹ scrip-



tum legitur nomen Portae Altae. In omnium ore versatur haec appellatio. Nemo nostrum ignorat pro Turciae curatoribus² Portam Altam dici solere. Ut in pictura videmus, hoc nomen non est commenticium,³ per eam ingressus

datur ad summos Turciae magistratus, qui rei publicae praesunt.

¹ ujság ² kormány ³ kigondolt.

Gallus III.

Scriptit G. A. Becker, in Latinum convertit —il.

Aurora stellis fugatis rubescit. Sol oriens summos montes vix lumine spargit¹ primisque radiis tecta Urbis ferit.

Gallus altissimo adhuc et gravissimo somno oppressus iacet in cubiculo, quod situ opportuno abditoque omnes sonos arcet et obstat, ne prima luce dominus e somno excitetur.

Interea iam tota domus opere² fervet.² Servi undique ex cellis frequentes prodeunt scalisque ex contignatione³ descendentes domum complent. Examen⁴ servorum ita concursat, verrit,⁵ mundat,⁶ nitidat,⁷ terget,⁸ ut festa parare ab imperitis facile credantur.

Integra⁹ decuria servorum scopis¹⁰ et spongiis instructorum, custode atriense, curat munditiam partium domus quibuscunque intransitibus patentium. Nonnulli in vestibulo lustrant⁶ columnas et statuae¹¹ iunctas,¹¹ ut tenues telas¹² ab araneis forte noctu contextas detergeant, ab aliis fores ornamentaque aurea postium¹³ mundantur vel pavementum abluitur. Sunt, qui in atrio et alis versentur et opus¹⁴ musivum¹⁴ aut picturas parietum¹⁵ cerā liquefactā¹⁶ inductas mollibus spongiis

extergeant,⁸ si forte pulvere vel fuligine¹⁷ candelarum coinquinatae¹⁸ fuerint; sunt etiam, a quibus clipei¹⁹ et imagines maiorum rosos aliisque floribus coronentur. In peristylio nonnulli servorum columnas linteis²⁰ nitidiores reddere certant.


In conclavibus²¹ ampliustricliniarcha²² cum servis sibi subditis negotia obit.

Conspiciuntur hīc pulcherrimae mensae citreae,* quarum orbes²³ in silva Atlantide sectos grande ebur²⁴ sustinet. Visu digna est mensa, cuius orbis pantherae pellem, alia, quae oculos caudae pavonum imitatur; nobilissima tamen omnium apiata²⁵ habetur. Omnes formā et pretio inter se concertantes a Gallo magnis pecuniis emptae erant.

Deinde res ad abacos²⁶ venit, quorum in quōque conclavi plures collocabantur, ut vasa argentea atque aurea sustinerent. Pars tabulae marmoreae erant pedibus arietinis²⁷ aureis suffultae,²⁸ pars tabulae aheneae²⁹ summis alis duorum gryphorum³⁰ impositae.

Vasa structurae³¹ cuiusque conclavis convenienter sunt collecta.

In conclavi simplicissimo exposita cernuntur vasa argentea pura, labris³² tantum



aureis distincta. Oculi spectatorum maxime alliciuntur duobus sucinis³³ mire cavatis, quae cum raritate tum pretio sunt mirabilia; quia in altero, quasi translucido sepulchro apis est inclusa, in altero autem formica. Deinde pocula admiramur formā antiquā, quae nominibus possessorum vetustiorum

1 behint 2 munkában van 3 emelet 4 csapat
5 seper 6 tisztogat 7 rendez 8 törülget 9 egész
10 seprű 11 szoboresoport 12 háló 13 ajtófélfá 14 mozaik
15 fal 16 olvaszt 17 korom 18 beszennyez 19 mellkép
20 vászon 21 szoba 22 asztalfelügyelő * citromfa
23 korong 24 elefántcsont 25 repkény 26 díszasztalka
27 kos- 28 támaszt 29 ércből való 30 grifmadár 31 stíl
32 széle, szegélye 33 borostyánkőből való

sunt pretiosa. Conspicuum est poculum a Didone olim Aeneae dono datum, aliud quondam Nestoris, in quo Hecamede ante portas Troiae vinum Pramnium seni ministravit. Columbae aureae, ansae³⁵ poculi, pollice³⁶ Nestoris contritae³⁷ esse dicuntur.



Gallus ipse quidem vix fidem ullam fabulis tribuit, vasa tamen magno opere ab illo congesta sunt, quia res antiquas huius generis colligere consuetudo³⁸ saeculi³⁸ erat.

In conclavi Corinthio plurima sunt vasa magnifica ex aere Corinthio,³⁹ in quibus praecipue pretiosi sunt duo scyphi⁴⁰ cum caelatura⁴¹ carminum Homeri. Proposita videmus multa vasa vinaria vel ex una gemmā⁴² pergrandi excavata mirabilique opere perfecta vel ex pluribus gemmis auro inclusis in pocula formata. Neque desunt vasa murrhina⁴³ e terra Parthorum allata.

In conclavi Aegyptio tantum caelata⁴⁴ vasa ex solido⁴⁴ auro argentove vel ex crystallo inveniuntur. Cerneret hic toreumata⁴⁵ artis Phidiacae variaque vasa manu Myos, M

ronis, Mentoris aliorumque celeberrimorum caelatorum⁴¹ facta.

Aspice phialas⁴⁶ cum artificiis egregiis! En, pisces summa arte in auro caelati, quos spirantes natate diceret. En, lacerta⁴⁷ caelata in phiala vivere videtur, ita ut manus tangentis ab illa abhorreat.

Inter tantum luxuriae apparatus formā et pretio eminent pocula crystallina, quibus simillimi sunt calices⁴⁸ vitrei versicolores,⁴⁹ varias gemmas,⁴² amethystos, sapphiros, smaragdos, carbunculos, sardonyches mirum in modum imitantes. Conquisitis thesauris summo decori est phiala colore opali coruscans,⁵⁰ quam paribus spatiis reticulum⁵¹ vitreum circumdat. Ipsa phiala infra labrum⁵² viridibus vitreis litteris est ornata: «Bibe vivas multis annis».

In conclavi Cyziceno ornamenta quidem pretiosa desiderantur, neque tamen sine ulla amoenitate⁵² est, quia amplas fenestras valvatas⁵³ magnis specularibus⁵⁴ obductas habet, quibus late prospectus in viridia datur.

Reliqua deinceps persequemur.

34 átlátszó 35 fogantyú, «fűl» 36 hüvelyk 37 lekoptat
38 divat 39 a corinthusi érc mibenlétének titka már
az ókor végén feledésbe ment 40 serleg 41 vésés
42 drágakő 43 balzsamfa 44 szín- 45 domború mü
46 csésze 47 gyík 48 kehely 49 tarka 50 : agyog 51 kis
háló 52 báj 53 ajtószzerű 54 ablaküveg.

Sagitta¹ et Carmen.

Carmen *Henr. Wadsworth Longfellowii* «The arrow and the song», latine vertit *Guillelmus Lehmann Vratisl.*

*Sagittam misi per aëra ;
In terram decidit — nescii qua :
Tam cito volavit, ut oculi
Nequirent volantem prosequi.*

*Spiravi² carmen per aëra ;
In terram decidit — nescii qua :
Tam certis quis utitur oculis,
Ut cursum sequatur carminis ?*

*Sagittam multo post integram
In quercu repperi positam ;
Et carmen incolume repperi
Sodalis in corde fidissimi.*

1 nyíl 2 lehel.



Garros Gallus Tunete¹ sublatus mari mediterraneo transvolato Lilybaei² in Sicilia se demisit. Iter non est longius chiliometris ducentis viginti, sed mare assidue est aestuosum,³ aër ventis agitato, ita ut volatus aëronautae intrepidi summa laude dignus esse videatur. Ex Africa in Europam, e continenti per mille pericula elementorum in continentem alteram volare: hic labor, hoc opus, quo mirabilius, humano generi utilius aut salutaris haud invenias. Pons aërius, quem Gallus ille ingeniosus in mari aedificavit, opus est immortale, quod nulla series annorum diruere possit.

Post aliquot dierum quietem circa horam matutinam nonam Sanctae Euphemiae subvolans cursum versus Neapolim direxit, quo horā undecimā pervenit. Post moram⁴ horae et quadrantis iterum se levans Romam volavit, quam post meridiem horā secundā et quadrantibus tribus nactus⁵ est. Et Neapoli et Romae a multitudine frequentissima clamoribus laetis excipiebatur.

Parke centurio⁶ classarius⁶ ex urbe Heudon Oxoniam⁷ cum vectore altero volaturus motore aëroplani corrupto ex altitudine quinquaginta metrorum delapsus est. Parke statim exspiravit, paulo post vector.

Bacsinszky aëronauta Sebastopoli hydroplano cum vectore altero in aërem sublatus in mare cecidit. Vector fluctibus haustus, Bacsinszky servatus est.

Curatores⁸ rerum⁸ bellicarum⁸ Italiae tria hydroplana, quae vocantur, facienda curabant. Primum nunc confectum est, quod Chemet aëronauta cum praefecto quodam militum conscendit; primum in altitudine sescentorum, deinde mille metrorum Venetiis circumvolatis cursum versus Tergeste⁹ direxit, ubi alte volans artificia¹⁰ sua ostentabat,¹⁰ mox Venetias revertit neque se Tergeste demisit.

¹ Tunis ² Marsala ³ háborgó ⁴ időzés ⁵ elér
⁶ tengerésztsz ⁷ Oxford ⁸ hadügyi kormány ⁹ Triest
¹⁰ ügyességét mutogatja.



Rectores Collegii Rákócziani feriis paschalibus magistris discipulisque studiorum causā Romam iter instituunt. Qui de rebus singulis edoceri vult, adeat eos (Budapest, II., Oszlop-u. 35). Iter modico pretio etiam Austriacis patet.

In urbe Nagyvárad statua Eduardi Szigligeti fabularum togatarum¹ scriptoris a sculptore Eduardo Margó confecta nuper revelata est. Societas enim litterarum² elegantiorum² Szigligetiana, quae in hac urbe ante nonnullos annos constituebatur, suum³ esse putavit memoriam nominis clarissimi poëtae digno monumento consecrare.

Albinus e comitibus Csáky senatus Hungarici praeses idemque summus rerum ecclesiasticarum et scholasticarum per Hungariam quondam praefectus Budapestini mortuus est.

Serviani, vicini nostri, qui cum Turcis bellum gerunt, sibi fructus victoriae prae⁴ manu⁴ dare⁴ videntur, cum chartam geographicam fecerunt, in qua non solum terrae adhuc obsessae, sed etiam patriae nostrae partes australes ut Serviae contributae⁵ ostenduntur. Hic lusus puerorum magnorum in mentem nobis vocat fabulam illam de ursi pelle,⁶ quae nondum detracta fabulamque de viatoribus duobus, quorum alter manū impromptus, linguā promptus erat.

Navis, cui nomen erat *Florence*, in Nova Fundlandia inter urbem Halifax et St. Johns procellā⁷ fracta est. Magister⁸ cum hominibus viginti et uno fluctibus hauriebatur. Praefecti duo et quattuor nautae, postquam duos dies in mari erraverunt, evadabant. Reliquiae navigii e⁹ conspectu⁹ ablatae⁹ sunt.

¹ népszínmű ² szépirodalmi ³ kötelességének
⁴ előlegez ⁵ bekebelez ⁶ bőr ⁷ vihar ⁸ kapitány
⁹ eltűnik

Pylis¹⁰ **Albanicis**¹⁰ circiter sexaginta naves piscatoriae mersae esse feruntur. Decem mortui in litus eiecti, quattuor servati sunt.

Vectura¹¹ **citatio**¹¹ duabus machinis tracta curruque cenatorio¹² instructa inter Catinam et Messanam (in Sicilia insula) cum vectura oneraria¹³ collidebatur. Ut vectura, quae die¹⁴ dominico¹⁴ frequentiam hominum plena erat, per stationem Guardia-Mangano vehebatur, orbita¹⁵ mobili¹⁵ perperam¹⁶ directam in orbitam transversam¹⁷ cucurrit, ubi tredecim plaustrorum vectura stetit. Vecturae citatoris machinae utraeque fractae, plaustra¹⁸ autem aliud in aliud summam vi vecta sunt. Securibus serrisque¹⁹ laborandum erat, ut mortui vulneratique compressi extrahi possent.

Casus hic tristissimus culpam illius accidit, cuius²⁰ erat orbitam mobilem dirigere. Mortui viginti quinque homines feruntur.

Tremoniae²¹ in fodinis²² carbonum²² spiritu aeris²³ gravi²³ disploso multi fossores perierunt. Ultima, sexagesima prima victima ante aliquot dies prolata est. Homines afflicti in frigore acri ante os fodinae disiectae steterunt et cum corpus opertum afferebatur, feminae violenter accurrebant, ut de feretra²⁴ tegumentum detraherent, sed horrore pedes referebant: corpora ad²⁵ cineres²⁵ adusta²⁵ agnoscere non poterant.

Cum fodina disploderetur, fossores sexaginta et unus inerant. Duodequingenta mortui efferebantur, tres in valetudinario²⁶ animas posuerunt, decem tam graviter vulnerati sunt, ut de eorum salute desperaretur. Omnes fere afflicti patres familias erant.

Luitpoldus in Bavaria regni²⁷ procurator²⁷ annum agens nonagesimum primum mortuus est, postquam viginti quinque annos rei publicae praefuit. Rex enim Bavariae, Ludovicus II. vecordia²⁸ tentatus²⁸ anno MDCCLXXXVI. in undis lacus Starnbergensis vitam posuit; itaque pro fratre minore, Othone, qui mente captus vivit, avunculus²⁹ fratrum, Luitpoldus regis vice³⁰ fungebatur. Quo mortuo nunc Ludovicus, filius Luitpoldi regnum auspicabitur.³¹ Novus princeps, qui nunc annum agit sexagesimum septimum, magna praedia in Hungaria possidet, ubi partem anni transigere solet. In

urbis Sárvár publicis aedificiis vexilla³² lugubria³² proposita sunt.



In pictura videmus Luitpoldum cum filio, nepote et pronepote.

In urbe Belgica, Darraque in spectaculo cinematographico magna calamitas accidit. Dum enim multi adsunt ludos intenti spectantes, fascia³³ cinematographica³³ ignem concepit. Spectatores territi ad portas se proripiebant ita, ut in tumultu duodecim liberi compressi necati sint. Et machinator³⁴ ipse cum famulis duobus flammis consumptus est. Nonnulli pueri adeo conculcati³⁵ sunt, ut agnosci vix potuerint.

10 Derbent 11 gyorsvonat 12 étkező 13 teher-
14 vasárnap 15 váltó 16 tévesen 17 mellék- 18 kocs
19 fűrés 20 kinek a (kötelessége) 21 Dortmund
22 köszénbánya 23 bányalég 24 szt. Mihály lova
25 megszenesedik 26 kórház 27 uralkodó herceg
28 örülési rohamban 29 nagybátya 30 helyettes 31 át-
vesz 32 gyászlobogó 33 film 34 gépész 35 összetapos.



— **Quid** tu in ceraso agis, furcifer?
— Georgium devocare volo.
— Ubi est Georgius? Non video eum in arbore.

— Nondum arborem erepsit. *G. Láng.*
— **Qualis** pars orationis est «asinus»?
— Verbum.
— ?

— Declinari potest: Ego asinus, tu asinus, ille asinus. *E. Pick.*

— **Tu cingare**, si ilico mendacium dixeris, tibi coronam dabo.


— **Duas dixisti, domine.**

L. Horváth (Keszthely).

Diogenes ex Olympiis rediens interrogabatur, vidissetne turbam?

— **Turbam**, inquit, maximam vidi, sed homines paucos.

G. Beöthy (Nagyvárad).



(Solutiones ad X. Cal. Febr. mittantur, ut nomina sociorum recte solventium in tempore publicari possint.)

I.

Homo quidam moriturus equos septemdecim inter filios dividendos reliquerat. Qui quidem alius in alium se iustos praestaturi, equos tamen in eas partes, quas pater descripserat, dispertire nequeunt. Nam ille dimidiam, tertiam, nonam partem singulis pro sua aetate iusserat distribui. Fratres ergo rei difficultate devicti ad iudicem se contulerunt, ut patris voluntati oboedirent. Quo enim modo septemdecim equos iuste dividerent, nesciebant, nisi nonnullos discidissent.¹

Quomodo iudex equos divisit?

G. Fairelough (Lancashire).

II.

Pater huius viri est filius patris mei. Quis est hic vir?


G. Totis.

III.

Sume, cite, pons... haec tria vocabula insculpsit² in lapide quidam Latinae linguae ignarus. Litterae in³ ordinem³ digestae dictum philosophi clarissimi ostendunt.

A. Lorósh (Bp., III.).

IV.



¹ szétvág ² bevés ³ rendbeszed.

Solutiones aenigmatum numeri 6.

I. Tiberis, Athesis, Tamesis, Hiberus. — II. Labra. — III. Sera, Ares. — IV. Columba, columna. — V. Nondum omnium dierum sol occidit. — VI. Medicus dentium. — VII. Singuli acceperunt septena dolia dimidiata. — VIII. Spica, pica. — IX. Octavianus.

Aenigmata recte dissolverunt: *I. Auer* (Bp., VII. B.), *F. Avezzano* (Roma), *I. Bauer* (Keszthely), *A. Benkö* (Rosnavia), *I. Bereczk* (Kaposvár), *E. Blau* (Losonc), *L. Böhm* (Keszthely), *E. Brenek* (Bp., VII.), *B. Breuer* (Vindobona), *L. Brust* (Bp.), *L. Chodaczek* (Gradecia), *T. Fehrentheil* (Gyergyószentmiklós), *A. Herman* (Leopolis), *O. Hirschmann* (Alba Iulia), *G. Horay* (Temesvár), *S. Jakubowski* (Leopolis), *A. Kemény* (Bp., VII. B.), *L. Kiss* (Dés), *F. Kovács Maior* (Marosvásárhely), *C. Lewicki* (Leopolis), *N. Lichtig* (Bp.), *B. Loubin* (Parisii), *A. Löwenstein* (Bp.), *R. Marcellus* (Orléans), *Naszódiensis* gymnasii discipuli V. classis, *G. Potter* (Londinium), *St. Pridun* (Stanislaopolis), *L. Richter* (Tyrnavia), *P. Rieder* (Gretium), *L. Rozner* (Tyrnavia), *I. Sicher* (Bp.), *H. Simchen* (Gretium), *T. Szerényi* (Bp.), *I. Szügyi* (Kisujszállás), *G. Tarczay* (Zagrabia), *P. Varga* (Bp.), *T. Vuia* (Temesvár), *A. Wámoscher* (Sopron), *I. Wildt* (Déva), *A. Weisz* (Cibinium).

Praemium discipulis Naszódiensibus sorte obvenit.



Guilelmus L. (Vrt.). Quodcunque nobis miseris, Vir Honoratissime, grato animo accipietur. — *A. Kemény*. Impossibile est aenigma, quod proposuisti, dissolvere non posse. — *Andreas L.* Alterum facile est, alterum non satis liquet. Fac mittas versionem Hungaricam. — *Aemilius L.* Narratione Rákosi in breve coacta lectoris vix tentum iri putaverim. — *Stephanus K.* Quid dixerit historiae naturalis magister, si te de elephanti «cornibus duris» narrantem audiet? «O superbe etc.» in Libri Sexti I. parte prodiit. — *Nicolaus N.* Nomen Carthaginiensis clarissimi invenire sine magna contentione virium animi continget. Hexameter notissimus est. Misisti tu iam meliora. — *Georgius W.* (Bp., VII.) Timeo ne nimium facile videatur. Quā te sollertiā animi esse audivi, mittes tu meliora. — De reliquis proxime.

Moderator ephemeridis **STEPHANUS SZÉKELY DR.** Budapestini, *Üllői-út 71.*, ad quem litterae quaecunque mittantur.

Sumptibus moderatorum ephemeridis: Magyar Középiszkola.